

QVAENAM SINT GRAMMATICI DE SVIS REBVS SENTENTIAE

Arituneus MIZVNO
scripsit professor idemque poeta Latinus

Vix ulla timiditate, potius uero adrogantior audaciorque quadamtenus, hic libellus hoc uult “Anima Odarum Classicarum” inscribi, quod, ut de Prima Commentatiuncularum Parte dicam, principalia in hac argumenta tantum abest ut disputent tractentque uel omnibus uel praecipuis de Carminum Classicorum talibus operibus qualia plurimi esse iudicare soleant encyclopaedistae, ut huius libelli scriptor argumenta eiusdemmodi, licet sint multimodis perutilia, tamen ab illo litterarum perfectissime exaratarum ultimo scopo quam longissime possint distare imprimis credat. contra uero idem scriptor, dummodo de hac re agatur, omnium rerum unam longe plurimi facit perspicacem intentamque ingeni aciem quae peracris sit excusa. quae nempe ipsa est ea acies quae uersus excelsos de re qualibet in lucem possit prodere. est enim uero grammaticus nullus qui hac acie careat. sane quam crebro fieri solet ut is grammaticus ex eis operibus litteratis, quae cuncta tradita sunt a maioribus, quaeque homines sine ullo discrimine classica appellata inscii reuerenda esse putent, alia tanto odio, amori tanto alia habeat, quantus uel profano uel uolgarı iniquitatis admodum esse uideatur. iterandum est hoc idem. grammaticus eiuscemodi, quamuis multo magis hominibus ea opera translaticia, quae sint classica, amet, tamen, horum auctorum esse sectatorem, id demum sibi non satis habet, atque semper plus minusue inrequieto mentis ardore incitatus optat, ut ipse fiat scriptor primae classis; intentusque et uigil animum eo aduertit ut poetando scribendoque ipse in tempore uincat ueteres. et is quidem uincit non numquam.

Quae quidem mens quomodo se habeat, id ipsum huius libelli iam commentatione prima, iam secunda legenda, iam sequentibus uos, lectores mei, iuuantibus

auctoris carminibus, iam adiutricibus in haec carmina Iaponice adnotantibus pagellis perlectis, cum hae ipsae rem distincte enarrent, cum usque coniungantur eodem in mente inter sese conuersae cogitationes, speratur fore ut pluries ipsi possitis percipere. ut paucis dicam, iniquum in litterarum historiam esse, licet paradoxum uideatur, maxima tamen ea est causa cur “Anima Odarum Classicarum” inscribi uelit hic libellus.

Atqui, haud multum metuens ne proprium ingenium, quod dominetur uehementius, sit odio, huc adiectum est mitius opus atque aliquatenus insulsum : dico commentatiunculam tertiam, quae pro amatorii carminibus orat Ouidianis. at tamen credit idem sibi ipsius nimium sermocinanter loquentis uerbositatem certe nocuisse in honore scriptorio. haec uero commentatiuncula abhinc sedecim fere annos phoncasetae insita, id quod ex dictione patet, excitata post est e somno. quae quidem uenustissima oratio habita olim fuerat Vniuersitatis Praeside Professore Eugenio Matubaraeo studiose acriterque cohortante, uiro sincero prudentissimoque, mediis in Publicae Caerimoniae Rostris sacrae sanctaeque et augustissimae. qui uir ipse, quamuis iam pridem uita functus, quam profunde res cognouerit, quantum gratiarum ego eidem debuerim, equidem non umquam esse possum immemor. neque igitur possum etiamnunc quin pro eodem beatitudinem Eleusinam ex animo precer.

Praeterea, quod ad secundam commentatiunculam attinet, uobis ex inscriptione iudicantibus sane uidetur de carmine Horatiano ibi tantummodo uno disputari : res tamen admodum contraria est. qua in commentatiuncula scilicet non modo multa alia eius uatis carmina inspicerentur necesse erat, uerum etiam haec eadem commentatio exoptauit scriptor ut omnibus hominibus, qui carmina Horatiana peruellent intellegere cuncta, aliquid perutile conferre ibidem possem. namque apud scholares hodiernos, his temporibus nostris tristibus, quidam ingeni modus, quaedam ea inspiciendi consuetudo, quae Horatianis intellegendis carminibus omnino, inquam, necessaria est, omni ex parte fere ita negligitur, e qua uaria exoriantur impedimenta ; quae cuncta ut ex integro demoueantur, id haud satis esse crediderim auctor, quod faciant tamquam negotiatores sicci, ut rem alteram post alteram nullo modo nisi articulatim simplicissimeque denotent numerentque. opus esse sciatis, uiri mei docti mulieresque, uiua oratione neque

umquam breui. qui ab hominibus ut penitissime euigilent poscat, eius iam iudicio ne ea quidem longior esse uideatur fortasse quae hic lectoribus ostendatur commentatio.

Prima uero commentatiuncula magno quarundam coactu externarum rerum euenit ut scripta esset quae scriptoris haud paulum differret cum a genere dicendi tum a cogitandi consuetudine. necnon et quam requireret eius inscriptio, ad eam materiem descriptione multo exactiore opus fuerit re uera, at eandem omisi auctor. quae commentatio ubi typis primo expressa est, auctor, lege quadam tacita ac debita huiusque respectu impeditus, eandem denuo compressam quam breuissimam potui composui uariis breuiandi usus rationibus, ex ea adumbratione, insolenter longiore, quam antea composueram praeparationis causa. quae proprie describerentur enarrationes, earum permultum deleui; litteras a maioribus inuentas (*'kanas'* dico) nonnullas in eos Sinicos characteres mutauit auctor, qui rem eandem breuius dicere possent, decore suo deposito contemptoque. quo cum efficeretur ut suarum sententiarum nil nisi quosdam diceret nucleos, nunc ideo manu tenetis, cari lectores, argumentum simul foedius simul difficilius. quod tamen olim ipse tale diuulgaueram, id scriptum in hac etiam editione quam minimum mutatum, uetus fere ipsum, ostendi auctor permagna cum continentia modestiaque, quippe qui ne ratio scribendi mutata commentationem in aliam quandam uerteret pertimesceret. accedit quod scriptum uetustius, quamuis aliquatenus difficile, sententias tamen suas aperte declarans, utique est omnibus legibile. necnon etiam inter classica opera Occidentalia undique reperiuntur pleraque talia, qualiter se habere, se nempe, sicut haec, itidem habere, id ipsum praesertim est cur ea ad se attrahere posteritatis animos pergant. iam sic multimodis se defendisse forsitan uidear auctor. utique uero iam uos quoque, lectores cari, hanc hodiernam animaduertentis tristiozem scribendi inclinationem nostra in patria, hanc scilicet celerem deminutionem cogitationum expressionumque compressarum; qua de causa, si plus minusue patienter hanc perlegeritis commentatiunculam, nihil sane detrimenti uobis fore ausim dicere auctor satisfactionis causa, qui, licet legentibus esse uidear, re tamen haud sum superbus.

Qui uero Partem Primam legerint, eis ad Partem Alteram prooemiari iam uix

necesse uidetur. infra igitur non amplius quam mystagogica quaedam eas enumerationes, quae neque idoneae sunt neque expertae, auctor cupio facere.

Primo : illam superstitionem, quae linguam Latinam iam esse mortuam dicat, ubinam adepti estis? res Iaponicae prius dicendae. eam effingunt ii uano ex rumore falsoque de hac re, quomodo mundi in praesentia nostri se re uera cultus habeat atque humanitas. contra autem tam in Europa quam in America ceterisque regionibus hanc eandem efficit eorum debilitas paucitasque, qui et magistri Latinitatis ingeniosi sunt et ipsi excellentes cultus atque humanitatis creatores, praesertim qui sunt scriptores Latinitatis Latinique poetae. enimuero Latinarum litterarum iam ex alto in tantum decidit temporibus nostris excellentia altitudo nobilitas, tantam in pauperiem descendit deruit desueuit ut uix quisquam iam suam uitam pulchritudini earum totam uelit dedere, ut in hac studiorum parte deficient boni successores. attamen hoc malum, haec miseria tota nobis est tribuenda, qui ueras propriasque amissimus uires. pessimus ego sum ex his malis. ea miseria hoc effecta est, quod nos ductores Latinum cultum atque humanitatem nec iam protegimus nec nutrimus nobili assiduaque eloquentia. eruditi nos et de nominibus doctrinarum et de informationibus rerum satis bene sciscitati, factum tamen est ut non iam de nostra uoluntate his utentes doctrinis carmina odorifera scribamus dulcissime.

Deinde : deuinci posse speramus eam pauperiem duabus actionibus fortasse his : hominem artis cuiusdam iam peritum suam sententiam artemque permutare conari, quae mutatio ei non multum laboris afferet, neque ipsum umquam molestam ducere hanc per annos actionem. sciendum tamen est : initio studiorum mutandum esse suum modum, quod dolori sane est : etiam haud breui temporis spatio, dum suam ipse rem gloriose efficiat, opus esse, quod quoque dolori est : animum igitur ad hos dolores esse parandum. cum dolore afficiemini, ea animo fingenda est gloria, quam accepturi estis, ac totius animi laetitia. ipse autem auctor, qui procul a perfectissimo lumine illo ingemens nullo alio loco desideo nisi aduerso, certissime frui lepidissima iam laetitia possum, id quod spe maturius mihi est datum.

Dein : etiam a tirunculis incipi potest uersificatio studiosa. “quantitas syllabica”, qua multo magis quam aliis rebus tenetur utraque lingua classica, si forte

adsint boni magistri, unis in orbe terrarum ab Iaponibus mente capietur facillime atque accuratissime. uiae optimae rationisque optimae est, ut uerum quidem patefaciam, statim a primo initio incipere uersus discere. num dicitis obiurgantes? “priusne uersus quam oratio soluta comprehendantur !” sciat tamen solutam etiam orationem, nisi hoc eodem prius rudimento satis mente capto usque discatur, uariis modis disordinatam futuram. linguae utriusque classicae, et classicae soli, haec sententia ipsa utrum adsit, nil est nisi iudicatrix ipsa an iter postea fiat probum necne. adloquor ecce auctor, quod grauissimi credo esse momenti, “eos, quibus lingua innata sit fortioris accentus, nolite linguae Latinae creare magistros, liceat fieri alienarum rerum, exceptis longe Latinissimis.” sunt igitur annorum milia duo, cum linguam Latinam hi in rudem barbarorum linguam uerterunt quibus linguae inessent fortioris accentus. antiquitatis hi ipsi sunt, qui nihil solliciti et Sapphus et Horati carmina lyrica deleuerunt. quapropter ultima haec collectanea ornat decore nitido Hymnus in Sapphus honorem. non igitur fortes ac tenues sunt linguae Iaponicae accentus, uerum fortunate quam seu acuti atque graues, siue melodici. quo sequitur ut necesse sit optimi maximeque uni longe idonei Iapones uiuant ad linguam Latinam intellegendam, ad Latine pronuntiandum, ad Latine uersificandum, toto in orbe terrarum. haec igitur genera sunt earum actionum, quibus nos Iapones ciuilem quendam et elegantem aedificemus mundum ; eisque maxime idoneae partes studiorum nobilissimaeque sunt ipse litterae Latinae. qui autem magistri haec genera ducunt, fallacibus eis et impotentibus ualdeque obnoxiiis, ad Latinitatem nullo pacto inflammantur in Iaponia iuuenes ; necnon qua arte effodiantur Latinitati ingenia, haec ars, haec cogitatio iam omnino iacet praeter subterque somnium. ne risui quidem est. supra tamen superque saliri mirum quam potest necubi nisi in Iaponia ! quid eheu dicam?

Exinde : multo autem magis est mirandum quare communiter uolgoque credatur nouae cuidam opinioni insolitaeque, ut totum per terrarum orbem necessario sit Anglicitas illa ceterarum dominatrix linguarum suprema. cui quidem opinioni omnes eheu certe audebunt contra dicere. quod ergo re quidem credit neque ullo pacto dubitat Iaponia, quod credunt omnes respublicae non modo in progressu stantes, quod credunt etiam excultae, quas se putent, respublicae. etiam.

numquid in Anglorum morem personant uoces earum gentium emissae, quibus innata non sit lingua ipsa Anglorum? quomodo se habet Anglicitas qua loquuntur Iapones? nonne iam animaduertitis quam longe cum uocalismo tum consonantismo ab Iaponicitate differat Anglicitas? non denuo de accentus qualitate dicam iam opus erit. consuerit tamen uobis, simul atque uerba perpauca audistis pronuntiata, confestim patefieri utrum Iapo sit locutor necne. at hoc mirum quantum est, ut de Latinitatis pronuntiatione res se habeat omnino e contrario; in Occidentalium ergo pronuntiatione Latina hodiernorum numquam fit, paucorum uocibus exceptis, quin percipiantur uel accentus quidam prouinciales uel dialectorum ut ita dicam uarii modi, ita ut uoces audiantur quadamtenus foediores. contra uero, qui Latine loquuntur Iapones, horum pronuntiatio, etiamsi parum attente loquantur, sonat ualde subtilis atque perpulchra. utraque enim lingua fundata est, etsi non omnino ibidem, tamen in quadam radice fere eadem.

Itaque, ut paucis uerbis addam de linguis recentioribus, aptiores quam Anglicitas ad Iapones sunt illae linguae quae sunt Francogallica Hispanica Italica. quarum certe linguarum pronuntiationibus consimilem sane in modum formatis atque Iaponica, eo facilius est mutuo cum isdem populis colloquio inter sese intellegere. nec tamen harum linguarum unamquamque Romanticarum, licet uolgaris sit, re nihilo minus linguam certissime quandam Latinam esse, id quod mihi permolestum uidetur, umquam quidem sempiterna confirmataque cum conscientia omnibus animo occurrit. quae res eo etiam peior solet fieri, quod linguarum Romanticarum magistri suas orationes e consuetudine uix ullo pacto coniungentes habent cum Latinitate. qua de re liceat reri suo quemque more, at, quod in promptu est de re nostra, uix ulla est causa, cur Anglicitas ut lingua, cur Anglicitas ut cultus atque humanitas aut utilitate aut laude Latinitatem praestare iudicetur. quam nempe homines de ea facere soleant existimationem, haec non alia ratione nobis euenit nisi qua talis cursus discendi iuuenibus coactu dari consuerit. sed nonne pigrioris indulgentiae est consuetudinem tamquam regem uenerari nulla re dubitata?

Extremo: quid, si orbis terrarum temptamenti causa audacter e sese Latinitatis elementa excidat tota? relictis nempe eis firmiter iam radicatis uerbis, quae pridem quasi paterna assimilata sunt, lege quadam lata statutote ne ea uocabula

Latina umquam usurpentur quae ciuitatem suam nondum acquisierint. tum quantum imaginum possit dicendo exprimi? numquis uestrum mente aduersa umquam miratus est quam Latinitate abundans, sibi peregrina, lingua etiam Russica sit? cur tandem Miltonianum opus maximum sermone aborigineo sic ut nostis inscribitur, etsi ordine uerborum inuerso titulus fieret Anglicior? porro, isdem fere temporibus Italus uates Torquatus Tasso perpulchrum epos scripsit cui titulus "Hierosolyma Liberata", quo in titulo uerborum est ordo idem. hoc fit utrimque ex Latinismo usitato. uir tamen quidam propterea forsitan, quod is, quantum hic Latinismus pateret, minus caute minusque attente scierat casu, historici Romani illius, Liuianorum librorum titulum sic dicitur reddidisse "Ab Vrbe quae est condita". quem fuisse scholasticum nos memoria tenemus, id quodam modo etiam nonnumquam auditum. eiusdem hi defectus, dummodo attente didicisset, facile potuerunt deuitari: quomodo tandem ei usque haeserunt? inquirenda eius cupiditas. pro eo stat tacita ingentium multitudo cateruarum, quibus nulli est curae Latinitas, cum eo stant magni greges hominum inter se sociatorum silentio, quibus Anglicitas est dea. tales omnes Latinis litteris se suasque animas factum iri beatas ne somniant quidem. uerum hi omnes renouanda publica omnia, communia cum omni terrarum orbe habenda esse undique conclamant. utinam homo cadaueris instar, utinam animae expers homo ductor fiat talium renouationum!

Partis Alterius «Carmina Lyrica, Latine edita ex Iaponia» quibusnam sententiis sint enata, equidem crediderim ab eis uestrum magna ex parte iam intellegi posse, qui supra dicta legerint.

Quae res quocumque se modo habent, aduersa fortuna nobis adeo in pectore uoluta atque inspecta si ad auctorem ipsum attulerit lamentationem nimiam, a lectoribus petentes ueniam haec in hunc diem hactenus in dictitando desinere uelimus.

Hinc autem ut rursus nouellae lucernae paulum suppleam auctor, quae ad hunc finem scripta uobis in lucem prodeunt, ab hisce scriptis ipsis initium capit quidam auctoris eiusdemque poetae libellus, quem iam iamque ipse diuulgaturus sum. quod autem Iaponice, quod Latine scribitur, utrumque est alterum alterius et archetypon et apographon.

Scribendam Kioto Idibus Octobribus anni MCMXCIII.

QVAENAM SINT GRAMMATICI DE SVIS REBVS SENTENTIAE

(その専門活動についての或る古典文学者の見解)

水 野 有 庸

西洋古典文学・語学の専門家も他の分野の専門家と同様に、同類の専門家も容易には模倣しえないような独自の個性的能力を深く身につけるように日頃から絶えず心掛けていなければならぬであろう。このような一種の独創的な才能をつねづね培うように努力すべきであろう。それが専門家の職業意識の重要な要素であろう。この趣旨によって筆者が長年にわたる研鑽により体得するにいたった実力とは、永く世界の歴史に残りうるほどに芸術性の高い古典ラテン語の詩歌と散文とを何時でも意のままに書きうる能力のことであった。今日のがくんに同じことをなしている者はなく、現今の欧米には優れたラテン散文文筆家は多いが、ラテン詩人は少数である。

専門家としての筆者のこの特殊能力の具体的な発現を一括して公表したものが、最近刊行された拙著（『古典ラテン詩の精——本邦からのラテン語叙情詩集——』、1994年3月、近代文芸社発行）の第Ⅱ部、つまり上記書題の後半をなす筆者作のラテン語叙情詩集である。同書の第Ⅰ部は、西洋の文化体系の中での詩の位置を論じた論文と、ホラーティウスの叙情詩集の解釈原理を扱う論文と、オウディウスの恋愛詩を弁護する論文とから成っている。これらの三論文と叙情詩集との基本特性と中心視点とは巻頭のプロロガス（序）において要点的に論述してあるが、その論述での強調点は、上述のようなラテン語芸術の自由自在の制作能力を常時涵養し続ける熱意のことであった。この熱意が「生きたラテン語」の母である。今回発表のラテン語論文は、末尾の6行を除き、この「序」のいわばラテン語版である。筆者は、欧米の第一線で活躍中のラティニストたちを常に念頭に置いてものを書くので、このたびもまた、このラテン語版を書くべき強い動機をとうてい抑制することができなかつた。なお、当論文の末尾の数行は、上記拙著と本稿との関連を一種の文学的表現によって明示している。

（邦文要旨 以上）

（本学教授・西洋古典文学、ラテン詩人）